


42980
I Mag. St. Dr. P

~~Med. polsk. 2382.~~



42980
I

DE ASPHYXIA NEONATORVM.

SPECIMEN INAVGVRALE
EX DECRETO FACVLTATIS MEDICAE
REGIOMONTANAE
PRO IMPETRANDO
GRADV, PRIVILEGIIS, ATQVE
IMMVNITATIBVS
DOCTORIS MEDICINAE ATQVE
CHIRVRGIAE
ERVDITORVM CENSVRAE SVBMISSVM
A

NICOLAO REGNIER
AD SARAM LOTHARINGO
S. R. M POL. CONSILIARIO; CHIRVRGIAE THEORETICAE ET ARTIS OBSTETRICIAE IN ACADEMIA VILNENSI PROFESSORE PVBL. ORD. EXERCITVS LITHVANICI CHIRVRGO PRIMARIO; ACADEMIAE CHIRVRGICAE, QVAE LVTETIIS FLORET A LITERARVM COMMERCIO.

MENSE IANVARIO ANNI MDCCLXXXIX.

REGIOMONTI,
TYPIS HARTVNGII TYPOGRAPHI REGII ET ACADEMICI.

[stamp] ... IAGELLONICAE

42980
I



De Asphyxia Neonatorum.

§. 1.

Evenit saepissime, ut in lucem prodeat infans, ita ad omnem motum iners, ut mortuum crederes. Quin imo nonnunquam praecipitanter terrae mandatur, tanquam vita plane defunctus. Huic malo ut obveniatur, nonne praestat in omni casu, ubi prodit tenellus sine vitae signis, eius tamen recuperandae spem alere, omniaque tentare, quae huic scopo idonea sunt, quam relinquere miserum, certaeque morti tradere?

Omnis scilicet lypothymia gradu differt. Levior est ille, in quo salva sensatione, aeger loquelae impos est. Hoc deliquium animi est, illis solenne, qui nervis laborant irritabilioribus (*vapeurs,*) et in quo ne pulsus quidem valde alterari observatur. Si cum motu sensatio etiam feriatur, ut sui conscientiam homo amittat, cum pulsus imminutione,

 syncope

ſyncope adeſſe dicitur. Quae ſi ita gradu augetur, ut plane evaneſcat pulſus, reſpiratio abeſſe videatur, frigidum rigidumque corpus ſit, facies livide palleat, hic ſtatus mortis imago, nonnunquam etiam eius praenuntius, *aſphyxia* appellatur, quae vox graecae originis *pulſus defectum* denotat. De hac dira valetudine, quatenus infantes neonatos nonnunquam tenet, nunc mihi ſermo erit; cum ex legibus Inclytae Academiae Regiomontanae ad capeſſendos honores Doctorales Specimen Inaugurale mihi elaborandum ſit. Vt autem, quam mihi ſumſi, pertractatio, ordine procedat, dicendum primo erit de morte tenelli ante partum deque ſignis iis, quae foetum nondum editum in ſinu matris iam defunctum eſſe, indicant.

§. 2.

E vivis decedit infans ſive ſub partu, ſive ante eum, durante graviditate. Poſterioris conditionis ſigna ſunt ſequentia.

1) Perceptos iamiam infantis motus percipere deſinit gravida, ſive dum ſenſim ſenſimque minuuntur, ſive dum ceſſant poſt validiorem aliquam motionem, quem ſub lethifera aliqua foetus convulſione contigiſſe credibile eſt.

2) Sub matutina in lecto mora abdomen manu contrectans motum percipit nullum.

3) Venter deſinit intumeſcere; quin potius collabitur.

4) Umbilicus prominens durante graviditate retrahitur foſſulamque in abdomine efficit.

5) Ad alterutrum latus recumbens gravida pondus aliquod ad declivem ſitum delabi percipit.

6) In utero dolorem ſive lancinantem ſive a refrigerio quaſi natum experitur.

7) Mammae intumeſcunt quidem ſub frigore febrili; eo autem ocyus ſerius evanido iterum collabuntur ſerumque aquoſum emittunt.

Haec ubi ſive ſimul incidunt ſive ſibi invicem ſuccedunt, cum certitudine quadam indicant, foetum in utero diem obiiſſe ſupremum; praecipue ſi de cauſa ſufficienti praegreſſa certus ſis, quae lethifera eſſe potuerit. Quae autem alias recenſentur ſigna, ad hanc foetus in utero mortem referenda e. g. facies pallida, oculi plumbei, reſpiratio difficilis, palpitationes cordis, aurium tinnitus, animi deliquium, cephalalgiae, febriculae; haec omnia aequivoca ſunt, cum plures alias cauſas praeter foetus mortem, agnoſcant. Hic enim, mortuus licet, haud facile putreſcit, cum ab externo aëre defendatur; niſi ruptis velamentis partus accelerandus ſit, ne metritis, uteri gangraena et mors conſequatur.

Ex conſueta naturae lege foetus in utero mortuus ſive abortu ſive partu praematuro in lucem prodit. Sanguine enim in utero atque placenta accumulato haud diu ſtare poteſt utrinsque nexus, cuius ſolutio partum accelerat. Viſi tamen ſunt foetus ſive in utero ſive extra eum longos per annos remanentes oſſefacti ſive maſſa cruſtacea obducti.

§. 3.

Sub partu mortuus infans ſive vivus pelvis cavitati impactus fuit ſive iam antea vita privatus. En ſigna generalia.

1) Ruptis membranis effluit ex utero ſanies putrida foetidi et odoris et coloris, quam expertus quisque ab omni alio humore praeſertim a meconio diſtinguit, quod ſpiſſius eſt ſine odore et viridiuſculum.

2) Cuticula a tenelli corpore facile secedit digitisque obstetricantis adhaeret cum odore putrido.

3) Caput pelvi impactum sive etiam incuneatum non intumescit.

4) Caput in pelvi haerens non cogitur in conum, sique manu ossa cranii agitaveris, talem edunt sonum, quasi vacuum esset cranium. Percipitur aliqua inter ossa cranii quasi intussusceptio.

5) Fons pulsatilis pulsare desiit. Itidem et arteria temporalis, quam explorari suadeo.

6) Funiculus umbilicalis, si ex infantis situ prominet, pulsu in totum caret; sique dudum iam mors ingruit flaccidus etiam esse solet.

Quacunque caeterum sui parte prodeat infans, facilis est exploratio, vivus ne sit an mortuus. Si praevium caput est, digito in os immisso explorandus est linguae motus; si praevius sit thorax ad cordis pulsationem attendendum erit. Abdomine praevio, funiculus umbilicalis, prout iam diximus exploretur: Tandem si brachiis aut pedibus prodeat, in arteriarum pulsationem erit inquirendum. Quibus signis adde saniei perdurantem effluxum, longam in pravo situ moram, aliasque causas praevias occidendo foetui aptas; quae omnia simul sumta praesumtionem certitudini propiorem de morte infantis conciliant.

§. 4.

Transeo ad ea, quae significant foetum, qui vivus pelvi impactus erat, ob longiorem in eo moram, obiisse.

Constat scilicet, in partu naturali infantis vivi cranii ossa ita sibi invicem approximari ut sensim sensimque digitis sese subducat fons pulsa-

tilis,

tilis, supra quem integumenta primo in plicam quandam latam elevantur, quae deinde crescendo in tumorem rotundum, tandem in formam conicam mutatur duram elasticamque. Quodsi ille tumor mollior evadat neque sub doloribus elongetur, signum inde praesumtivum desumi potest, infantem sub partu esse mortuum sive saltem in vitae discrimine versari.

Sola tamen putredinis certa indicia pro univoco mortui infantis signo habenda sunt. Itaque neque meconii effluxus hoc infortunium satis certo indicat; illud enim etiam praeviis clunibus aut sub alio quocunque infantis situ, si tormina accesserint, effluere potest: Neque foetus ab omni motu feriatio tale quid significat, cum et vivus infans, quamprimum in pelvis angustiis haeret caput, ab omni motu abstinere soleat.

Cum igitur illa putredinis indicia nato demum in totum infante appareant, prudentis Medici est, licet de morte infantis sub partu verosimiles alat coniecturas, tamen eadem methodo procedere, ac si vivus esset tenellus. Praesentem hic saepe operam et auxilium praestat forceps sive *Levretianus* sive *Smellianus*.

Et male certe sibi consulunt, qui partum pellentia sub his conditionibus adhibere solent, sicubi mediantibus iis foetum, quem mortuum hariolantur, expellere nituntur. Cum enim omnia ea signa aequivoca sint, nihil aliud moliuntur, nisi abortum sive partum praematurum. Praeterea autem nocent etiam illa pharmaca, dum haemorrhagiam uteri minantur periculi plenam. Neque etiam quicquam prosunt sive potius nocent sub partu. Quin potius et mortui infantis exclusio felicissime tunc procedit, ubi naturae viribus committitur.

§. 5.

Asphyxiae omnis, a qualicunque demum causa oriatur, haec facies est. Respiratio, ex aeris liberi purique, qualis, ut omnes norunt, ad eam

functio-

functionem requiritur, defectu fere abolita; musculorum flatus spasmodicus; motus omnis interceptio; vasorum capitis sanguineorum, ex difficili cruoris in cor reditu, oppletio et suppressus motus; spuma ante os ex glandulis salivalibus spasmodice affectis. Quod si ignoretur causa huius conditionis inter vitam et mortem intermediae proxima, difficilis certe est eius diagnosis, necessaria tamen, si asphyxiae species rite distinguere, ac cuique ex amussim mederi tibi animus sit.

Asphyxiae causae frequentissimae sequentes esse solent:

1) Submersio in aqua aut in alio demumcunque fluido.

2) Frigus immodicum. Posses etiam addere cellarum frigidissimas humiditates, murorum recentium exhalationes.

3) Mephitis omnis, ex vaporibus carbonum ardentium cuiuscunque generis; ex fermentatione sive ex mineralibus; ex fumo aut flamma combustibilium; ex cavis subterraneis diu clausis sive excalefactis; ex fulgure, ex solis aestu; ex athmosphaerae calore nimio; ex odoribus in conclavi clauso penetrantioribus.

4) Fossarum exhalationes; loca paludosa tempore aestivo; sepulturae; putredo animalis; carceres; nosocomia; caverna illa nigra Bengalensis; miasmata contagiosa.

5) Pathemata animi, gaudium sive ira vehementior, affectionis nervosae et hystericae, syncope.

6) Strangulatio, quae non solum a causa externa sed et ab interna esse potest, qua sufflaminatur pabulum vitae.

7) Casus ab alto, cerebri commotiones, apoplexiae.

Speciatim vero ad neonatos sive etiam ad infantes adultiores hae pertinent asphyxiae causae.

1) Par-

1) Partus agripparum, qui fere semper vitae periculum inducit.

2) Funiculi umbilicalis compressio.

3) Matris debilitas, qua semper infantes participantur.

4) Omnis partus difficilis, quo diutius in pelvi haerens infans facile perit.

5) Convulsiones, tormina, dentitio difficilis; tussis convulsiva.

6) Mali matrum sive nutricum mores, quibus infantes sub brachiis suspensos tenent.

7) Protractus decubitus supinus, sive etiam ubi infantem suum in eodem lecto deponunt et comprimendo necant.

8) Miasmata contagiosa.

§. 6.

Me quidem iudice asphyxia ad apoplexiae genus referri potest. Et id quidem demonstrare videtur sectio eorum infantum, qui morti post asphyxiam obnoxii remanserunt. Inventa enim est cerebri substantia ex sanguine in vasis stagnante livida, plurimaque vasa, in statu naturali non conspicua, iniecta quasi, alia rupta. Et id quidem saepissime incuneato capite evenire solet, ita ut ex facie tumida, sugillationibus atque depressionibus facile compressionem praegressam cognoscere possis. Finge tibi, B. L. circulum durum capiti infantis circumdatum, qui quidem arterias sinit sanguinem advehere, venas autem prohibet eum revehere, ita ut accumuletur vasaque distendat. Ea fere conditio est infantis nimium in pelvis cavitate haerentis, quem et dura ossa et uteri orificium spasmodice contractum comprimunt.

Vbi

Vbi igitur nafcitur infans afphyxia laborans, facilis eft dirae valetudinis diagnofis. Quin imo perquirens fub partu difficili digitus fungum illum percipiens, qui ex integumentis relaxatis oriri folet, facile praefagire poteft illud infortunium. In quo cafu Medici obftetricii prudentia requirit, ut adftantes praemoneat, ne aut terrore afficiantur, aut ipfi imputent, quae praecavere haud potuerat.

Quod fi prodit quidem tenellus poft partum difficilem cum facie livida ac tumida, cumque tumore in capitis vertice, vitae autem figna edit evidentia; illa conditio periculi parum habet. Haec enim omnia cito evanefcunt, praecipue fi fanguinem ex funiculo umbilicali miferis, cuius quantitas aliquot fere unciarum fit; ita tamen ut ex parte placentae antea ligatus fuerit funiculus. Sin autem fub iisdem phaenomenis vitae figna nulla edit, five etiam pallidus prodeat tenellus, collapfis potius quam tumidis partibus externis, tunc illaefo umbilicali funiculo artis auxilia illa adhibenda funt, quae nunc exponam, quibusque faepe, indicibili gaudio et medici et parentum five in vitam revocatur novus cosmopolita five faltem fepeliendi vivi hominis periculum evitatur.

§. 7.

Si igitur in neonato defint vitae figna, cor pulfare defiit, arteriae non micant, membra labafcunt, tunc relinquendus aliquantisper inter matris crura, neque fecandus eft funiculus umbilicalis, nifi cum infante fecundinae prodierint. Saepe in his cafibus profuit ventris et thoracis frictio levis ope calefactae manus, ita ut hoc folo auxilio viderim reftitutos tenellos. Continuatis enim his frictionibus cor pulfare, arteriae micare, membra moveri, refpiratio inchoari coepit. Sub quibus conditionibus fecure difcindatur funiculus.

Praeci-

Praecipuum autem auxilium ponitur in aëris in pulmones inflatione, quae five ore ad os infantis applicato five immiffo ori tubulo ftramineo aut fiftula tabacina compreffis infantis naribus, ne iterum exeat, fieri poteft. Maximum fcilicet tunc obftaculum vitae ab inertia illa oritur, qua ad celebrandam refpirationem ineptus eft tenellus. Quicquid enim fit, quod eam inertiam inducat, five organorum torpor, five mucus fpiffus, qui refpirationis vias occludat, five aëris in conclavi ad refpirandum ineptitudo; fingulis his caufis medetur aëris per fauces moderata inflatio fub continuatis frictionibus thoracis. Sic enim ad agendum provocantur refpirationis organa, pulmonesque aëre immiffo ftimulantur ad obeundas functiones fuas.

Haec inflatio eo usque inftituatur, dum infantis corpufculum rubicundo aliquo colore gaudeat, ex quo boni fucceffus fpes elucere folet. Nunc aliquantifper ab eo negotio feriandum eft, antequam iterum inchoetur, pergendum autem nunquam non cum frictionibus thoracis, abdominis, et fpinae dorfi, levibusque infantis huc illuc volutationibus.

Singula haec artis auxilia, a Smellio primo propofita, ab aliis etiam celebrata et laudata quidem fuerunt, at de adminiftrationis cauta methodo pauci fuerunt folliciti. Si fcilicet cum violentia quadam infletur aër in os infantis afphyctici nimiumque diftendantur pulmones, nihil quidem inde periculi, quamdiu figna vitae defunt: ubi autem haec apparent atque adeo fanguis in promptu eft, ut novas vias legat, nunc facilius calcandas, magna fcilicet prudentia opus eft, ne letho obnoxius fiat, qui modo ei ereptus videtur. Captanda hic agendi occafio, ut cum fumma cautione ea aëris quantitas, eaque celeritate immittatur, quae fcopo implendo fatisfaciat. Praecipitantia enim hic fumme noxia effe folet. Indicat autem opportunum temporis momentum motus quidam ofcillans, undulatorius, alternans mufculorum thoracis atque abdominis, ore fimul

infantis

infantis magis aperto; in corde percipitur levis quaedam et obscura palpitatio convulsiva. Facies corrugatur, oculi nitent.

Sub iis scilicet conditionibus animalis oeconomia rite comparari potest machinae perfectae quidem, at non sine impulsione aliqua in motum agendae. Vis vitalis torpet; stimulus addendus est a Medico, respiratio iuvanda, aer inflandus, thorax cum ventre diversimode movendus, totaque actio vitalis in actum cienda. Sic quandoque scopo potitur Medens, ut qui mortuus videatur, reviviscat.

Haec, si successu careant, cum vi aliqua inspergatur thorax venterque aqua frigidissima, vola manus hausta.

§. 8.

Si autem cum infante simul secundinae prodierunt, necessitasque fuit ligandi secandique funiculi, incidenda est phlebotomo funiculi vena, sub ligatura. Haec sanguinis missio eo magis necessaria erit, ubi vasa tument atque facies livido colore suffusa est. Subinde etiam scarifari oportet funiculum, si coagulatus sanguis exire negat. Deinde eaedem encheireses adhibendae sunt, de quibus supra diximus, ita tamen, ut memores simus, sublato foetus cum matre per funiculum commercio, diutius continuanda esse auxilia neque deserenda nisi vel incassa fuerint vel respiratio cum calore animali penitus fuerint restituta. Cavendum praecipue, ne ex funiculo sanguis versus infantem retrogredi cogatur.

Haec autem omnia ut cum efficacia quadam adhibeantur, infans supinus reponatur super pulvinari neque molli neque elastico, ita ut libere moveantur membra. Inflatio fiat naribus clausis, ab homine robusto, cuius tamen anima non foeteat. Hac aliquoties repetita, chartae parvulum convolutum imbibatur alcali volatili fluor, naribusque immittatur quo profundius, eo melius. Possunt quoque et tempora et praecordia et pectus spiritu vini tepido lavari, plantae pedum fricari, infans huc illuc leniter agitari, fauces pennae barba spirituoso quodam e. g. Spiritu cornu cervi immissa irritari.

Quod denique alias asphyxiae infantum species attinet, eae iisdem auxiliis curantur; sublata enim causa, tolli solet effectus. Oportet tamen monere secundum Cl. Bvchan, nihil infantibus asphyxia laborantibus propinandum esse, quod deglutiant. Omne enim liquidum, spirituosum praesertim virulentia sua non posset non quam maxime nocere, praecipue maiori quantitate datum. Scopo etiam contrarium est, lectis nimis onerosis eos contegere. Sic enim respirandi difficultas magis etiam augetur.

§. 9.

Vbi autem, adhibita illa medela nulla tamen vitae indicia sese produnt, neque etiam reiterata saepius quicquam profuit, tunc equidem mortuum infantem reputare fas est, praecipue, si certa mortis signa appareant i. e. frigus totius corporis, color lividus pallidusve per totam superficiem, membrorum rigiditas, oculorum mollities, corneae collapsus etc. Liceat nunc cautelas addere nonnullas Aëris inflatio antequam fiat, lingua infantis examinanda atque dispiciendum est, num faucibus haereat, necne? quod satis frequenter fieri solet. Vbi enim praeternaturalis ille status obtinet, oportet deprimere linguam, quam lenissime fieri potest, ut aëri aditus ad fauces pateat; quod si lingua in situ suo facile remaneat, non tam tubulo, quam potius oris ad os applicatione utendum est, ad inflandum aërem; sin minus, tubulo quidem aër inflari potest, compressis tamen utraque manu labiis, adhibitoque socio, qui nares comprimat, ne aër elabatur.

Eadem methodo procedendum est cum iis, qui post partum in vitae periculum incidunt; sive qui vitae quidem indicia initio produnt, mox autem in syncopen aut asphyxiam incidunt. Cautius etiam cum his mercandum est, licet spes aliqua recuperandae vitae supersit.

Quod tandem morbos attinet asphyxiae supervenientes, in universum notare liceat, versandum esse aegrotis in aëre puro liberoque; fugienda esse nosocomia; antispasmodica iis esse propinanda; subinde etiam mittendum sanguinem, si pulsus requirat. Ad illud tamen auxilii genus nonnisi rarissime confugiendum. Laxantia etiam leniora usurpari possunt e. g. tamarindi cum sale medio. Vomitoriis abstinendum, nisi in refracta dosi. Acetum et haustu et in enematibus prodest. Si cephalalgia superveniat, ea levatur epithematibus frigidis sive cataplasmatibus ex mica panis cum aceto.

§. 10.

Coronidis loco liceat de electricitatis in asphyxia virtutibus sermonem miscere; quas in peculiari dissertatione praedicavit Cl. Hvfeland.

Tribus ille sectionibus hanc materiam absolvit. Atque quidem primo de vi electricitatis in corpus animale vivum dicit, sive sanum sive aegrotum. Deinde progreditur ad eius effectus in corpus mortuum, qua occasione duplicem hominis conditionem post mortem statuit, aliam priorem, quae vestigia irritabilitatis aliqua ponit reliqua, aliam hanc excipientem durabilem, evanida omni vi vitali. Data priori conditione, musculi, nulli amplius stimulo obedientes, ad scintillam tamen electricam valide se contrahunt. Cum igitur in asphyxia omnis rei cardo versetur in restituenda irritabilitate, ut reviviscat, qui mortuus videtur, electricitas certe non potest non esse summae hic utilitatis; id quod etiam Cl. Hvfeland exemplis undique collatis evidens facit.

Memora-

Memorabilis hic potissimum est observatio a Cl. Hawes, Societatis philanthropicae Londinensis socio publici iuris facta, puellae triennis casu ab alto in gravem asphyxiam delapsae, ita ut a Viris in arte peritis pro mortua haberetur. Delata tamen cum fuisset ad Mechanicum quendam Sqvire, experiri ille statuit, quid valeret in hac valetudine electricitas. Elapsa quidem erant a casu viginti horae minuta, cum scintillas nihilominus eliceret electricas artifex ex brachiis, manibus, humero, pedibusque. His autem diu in cassum adhibitis ad validiora progressus est, dum lagenae maiori materia electrica commissa decies pectus infantis ita percussit, ut et latera inde commoverentur. Sic, postquam per viginti circiter minuta fuerit laboratum, suspirium edebat infans, pulsus obscure iterum micabat. Tribus novis percussionibus electricis vomitus supervenit. Chirurgus nunc adstans ex iugulari et mediana sanguinem missurus erat, qui autem non effluxit. Frustra etiam vapulare iussit misellam, eo fine, ut clamaret. Quare, cum adeo non restitueretur infans, ut potius in asphyxiam novam incidere videretur, artifex quater iterum, sed levius quam antea pectus percussit, quo facto oscitare cepit puella, oculos aperire, huc illucque vertere, respirare libere, pulsuque frui pleno ac ordinato. Capitis laesio a Chirurgo optime etiam curata fuit. Alias etiam observationes huius generis publici iuris fuit eadem societas benefica.

Experimentis Cl. Hvfeland hos electricitatis effectus illustrare atque confirmare annisus est, in animalibus vivis captis. Submersit enim et canes et columbas et cuniculos, quos electricitate restituere conatus est. Licet autem non successerint tentamina, exhibet tamen eorum historia, qualem Cl. Autor exaravit, multa memorabilia, quae electricitatis in asphyxia utilitatem spectant.

Pauca



Pauca haec B. L. aequi bonique consule. Non enim materiam, de qua dixi, penitus exhaurire, sed animadversiones ad eam nonnullas conscribere animus erat. Aequos igitur expecto rerum arbitros, qui perpendant, specimen mihi academicum elaborandum fuisse, quo legibus Amplissimae Facultatis Medicae Regiomontanae satisfacerem. Huic scopo, ubi satisfactum esse intelligam, non curo Censores malevolos, quibus nunquam non facilis est rigidi censura cachinni. Vale.



QVOD DEVS T. O. M. FELIX FAVSTVMQVE ESSE IVBEAT!
SVB FELICISSIMO REGIMINE
AVGVSTISSIMI SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

FRIDERICI WILHELMI II.

REGIS BORVSSORVM

MARCHIONIS BRANDENBVRGICI, S. R. I. ARCHI-CAMERARII,
ET PRINCIPIS ELECTORIS, ETC. ETC. ETC.

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO

VIRO SVMME REVERENDO, AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

IOANNE ERNESTO SCHVLTZ,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE ORD. SECVND. CONCIONATORE AVLICO PRIMARIO
SVPERINTEND. BORVSS. ORIENTAL. GENERAL. ET IN CONSISTORIO BORVSSICO CONSILIARIO,

FACVLTAS MEDICA REGIOMONTANA

GRADVM DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
SVMMOSQVE IN ARTE SALVTARI HONORES, PRIVILEGIA ET IMMVNITATES DOCTORIS
VIRO PRAENOBILISSIMO
ERVDITIONE, DEXTERITATE, FAMA ET TITVLIS
CONSPICVO

NICOLAO REGNIER

AD SARAM LOTHARINGO
S. R. MAIEST. POLON. CONSILIARIO, CHIRVRGIAE THEORETICAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROF. PVBLICO
IN ACADEMIA VILNENSI, EXERCITVS LITHVANICI CHIRVRGO PRIMARIO, REGIAE ACADEMIAE CHIRVRGICAE
PARISIENSIS CORRESPONDENTI
RITE CONTVLIT,
QVOD
IN PVBLICVM DOCVMENTVM
SIGILLO FACVLTATIS MEDICAE MAIORI CORROBORATVM
EGO
BRABEVTA,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANVS

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS ELSNER

MED. DOCTOR ET PROF. ORD SECVND REGII COLLEGII SANITATIS MEMBRVM
HISCE LITTERIS PVBLICIS
TESTIFICOR.
P. P. DOM. III. POST EPIPHAN. MDCCLXXXIX.



REGIOMONTI,
TYPIS HARTVNGII TYPOGRAPHI REGII ET ACADEMICI.

